



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

43. De vinduis quæ post professam continentiam peccaverint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

fexus instabilis non tam deterreri quàm admereri videatur.

De viduis quæ post professam continentiam peccaverint. *Concilium Carthagenfis Africa quartum habitum ab Episcopis numero CCXIV. æra CCCCXXXVI.*

Concil. Carthag. 4. c. 104.
Burchard. lib. 8. c. 39.

XLIII. Sicut bonum est castitatis præmium, ita & majori observantia & præceptione custodiendum est ut si quæ viduæ, quamlibet adhuc in minoribus annis posita, & in matura ætate à viro relicta, se devoverint Deo, & veste laicali abjecta, sub testimonio Episcopi & Ecclesiæ religioso habitu apparuerint, postea verò ad nuptias seculares transferant, secundum Apostolum Paulum damnationem habebunt, quoniam fidem castitatis, quam Deo voverunt, irritam facere ausæ sunt. Tales ergo personæ alienæ sunt à Christianorum communione, quæ nec in convivio cum Christianis communicent. Nam si adulteræ conjuges reatu sunt suis viris obnoxia, quanto magis viduæ, quæ Deo religiositatem voverunt, crimine adulterij notabuntur, si devotionem quam spontaneæ Deo obtulerunt libidinosa voluptate corruerint atque ad secundas nuptias transitum fecerint; quæ etsi violentia irruente ab aliquo præcepta fuerint, ac postea delectatione libidinis permanere in conjugium raptori vel violento viro consenserint, superiùs damnatione cum præsentente neantur obnoxia. De talibus enim ait Apostolus: *Cùm enim luxuriata fuerint, nubere volunt, habentes damnationem, quia primum f-*

dem irritam fecerunt. Aurelius Episcopus Carthagenensis Ecclesie subscripsi. Donatianus Taleptensis primæ sedis.

De viduis professis, si nupserint, aut raptæ fuerint. *Concilium Arausicum xvii. Episcoporum habitum era cccclxxvii. titulo primo, cap. xxvii.*

XLI V. Viduitatis servandæ professionem coram Episcopo in secretario habitam, imposta ab Episcopo veste viduali, non esse violandam; ejus verò robatorem, vel ipsam talis professionis desertricem, meritò esse damnandam.

Concil. Arau-
sic. l. c. 27.
Burchard. lib.
8. c. 43.

Incipiunt capitula qua in Dei nomine sancta synodus in Toletanam urbem cap. x.

XLV. Præ consultu castitatis, quod maxime hortamento Concilij proficere debet, annuente glorioso Domino nostro Recaredo Rege, hoc sanctum affirmat Concilium, ut viduæ quibus placuerit tenere castitatem, nulla vi ad nuptias iterandas venire cogantur. Quod si priusquam profiteantur continentiam nubere elegerint, illis nubant quos propria voluntate voluerint habere maritos. Similis conditio & de virginibus habeatur, nec citra voluntatem parentum vel suam cogantur maritos accipere. Si quis verò propositum castitatis viduæ vel virginis impedierit, à sancta communione & à liminibus Ecclesie habeatur extraneus.

Concil Tolet.
3. c. 10.
Burchard. lib.
8. c. 44.